

61A. Some Gruesome Gallic Rituals (SB pages 99–101)

Line numbers are keyed to the vocabulary lists in the Student's Book.

- 1 Nātiō est omnis Gallōrum admodum dēdita religiōnibus
atque ob eam causam,
- 2 quī sunt affectī graviōribus morbīs,
quīque in proeliīs perīculisque versantur,
- 3 aut prō victimīs hominēs immolant
aut sē immolātūrōs vovent
- 4 administrisque ad ea sacrificia Druidibus ūtuntur.

Prō vītā hominis nisi hominis vīta reddātur,

- 5 nōn posse deōrum immortalīum nūmen plācārī arbitrantur
pūblicēque eiusdem generis habent īnstitūta sacrificia.

- 6 Aliī immānī magnitūdine simulācra habent,
quōrum contexta vīminibus membra vīvīs hominibus complent;
- 7 quibus succēnsīs
circumventī flammā
exanimantur hominēs.

- 9 Supplicia eōrum,
quī in fūrtō aut in latrōciniō aut aliquā noxiā sint comprehēnsī,
- 10 grātiōra dīs immortalibus esse arbitrantur.

Sed cum eius generis cōpia dēfecit,

- 11 etiam ad innocentium supplicia dēscendunt.

61B. The Religion of the Gauls (SB page 103)

12 Deōrum maximē Mercurium colunt.

Huius sunt plūrima simulācra:

13 hunc omnium inventōrem artium ferunt,

hunc viārum atque itinerum ducem,

14 hunc ad quaestūs pecūniae mercātūrasque habēre vim maximam arbitrantur.

Post hunc Apollinem et Mārtem et Iovem et Minervam.

15 Dē hīs eandem ferē quam reliquae gentes, habent opīniōnem:

16 Apollinem morbōs dēpellere,

Minervam operum atque artificiōrum initia trādere,

17 Iovem imperium caelestium tenēre,

Mārtem bella regere.

Huic,

cum proeliō dīmīcāre cōstituērunt,

ea

18 quae bellō cēperint

plērumque dēvoent:

cum superāvērunt,

animālia capta immolant

19 reliquāsque rēs in ūnum locum cōferunt.

61C. Some Strange Customs (SB page 105)

- 20 Gallī sē omnēs ab Dīte patre prognātos praedicant
idque ab Druidibus prōditum dīcunt.
- 21 Ob eam causam spatia omnis temporis nōn numerō diērum sed noctium finiunt;
- 22 diēs nātālēs et mēnsium et annōrum initia sīc observant
ut noctem diēs subsequātur.
- 23 In reliquīs vītae īnstitūtīs hōc ferē ab reliquīs differunt:
quod suōs liberōs,
- 24 nisi cum adolēvērunt,
ut mūnus mīlitiae sustinēre possint,
palam sē adīre nōn patiuntur
- 25 [-que]
fīlium puerīlī aetāte in pūblicō in cōspectū patris adsistere
turpe dūcunt.

61D. Marriages and Funerals (SB page 107)

- 26 Virī quantās pecūniās ab uxōribus dōtis nōmine accēpērunt,
tantās ex suīs bonīs
 aestimātiōne factā
- 27 cum dōtibus commūnicant.
- 28 Huius omnis pecūniae coniūctim ratiō habētur
frūctūsque servantur:
uter eōrum vītā superāvit,
- 29 ad eum pars utrīusque cum frūctibus superiōrum temporum pervenit.
- 30 Virī in uxōrēs, sicutī in liberōs, vītāe necisque habent potestātem;
 cum pater familiae illūstriōre locō nātus dēcessit,
 eius propinquī conveniunt
 et,
- 31 dē morte sī rēs in suspiciōnem venit,
- 32 dē uxōribus in servīlem modum quaestiōnem habent
 et,
 sī compertum est,
 ignī atque omnibus tormentīs excruciatās
interficiunt.
- 33 Fūnera sunt prō cultū Gallōrum magnifica et sūmptuōsa:
omniaque
- 34 quae vīvīs cordī fuisse arbitrantur
in ignem īferunt, etiam animālia,
- 35 ac paulō suprā hanc memoriā servī et clientēs,
 quōs ab eīs dilēctōs esse cōnstābat,
 iūstīs fūneribus cōfectīs
 ūnā cremābantur.